



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro  
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad  
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones  
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

**Dusault, Nicolas**

**Coloniæ Agrippinæ, 1660**

§. 1. Qui fidunt Deo, rectè soli comparantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

L. 3

lete doli & artes, valete dignitates & honores mundi, fama nominis, vires corporis, divitiæ, amicitia & foedera hominum valete. Debilia estis & infida fortunæ membra, bonorum imagines, felicitatis umbræ, humanæ spei ludibria; fidere vobis amplius non placet, uti vobis quando necessitas coget, utemur ut peregrinis bonis, ut fluxis & perituris. Omnis in posterum spes atque fiducia nostra defixa erit in Deo Optimo Maximo cœli terræque Domino, rege seculorum immortalis, invisibili, cui soli honor & gloria in secula seculorum. Amen.

LIBER TERTIUS

DE

Effectibus Fiduciæ in Deum.

Proœmium.

§. I.

Qui fidunt Deo, rectè comparantur Soli.

QUANTA est differentia solis inter lumen & fumigantis lucernæ, tanta est inter eum qui fiduciam suam ponit in divina providentia, & eum qui humanæ fidei prudentiæ. Unde Vir sanctus comparatur soli

L 3

soli



soli Eccli. 27. & terrenus lino fumigatus  
 ellychnio. Quemadmodum enim Sol qui  
 sacris literis dicitur *vas admirabile opus  
 celsi*, radiis suis refulgens illuminat caelos  
 elementa uno labore, sine defectu, sine  
 summatione sui, sine periculo ullo ne  
 extinguatur, imò ne non luceat aliquando  
 terea recreat homines & animantia super  
 ram claritatis suæ splendore illustrat colorem  
 & ipsam rerum omnium pulchritudinem  
 quidquid nobile in natura corporea & p  
 tiosum, occultâ vi producit, taciti & quæ  
 incrementis productum. Ita plane generat  
 animus qui in solo Deo confidit, sufficit  
 omnia, nec operando se exhaurit, aut  
 magna agit sine difficultate, sine labore  
 & tædio. *Omnia possum in eo qui me confidit*  
 dicebat Apostolus. Ad Philip. 4. Et  
 Bernardus censet in nulla re adeo clucere  
 omnipotentiam quam in hoc quod vult  
 omnipotentes reddat eos qui confidunt in  
 Hi sunt, inquit SS. Patres, quorum  
 cæli & elementa subsistunt: propter quod  
 lesacit ignis, & sol lucet. His impii debent  
 tæ necessaria, quibus se alunt & aërem quo  
 respirant. Christus Dominus dixisse fertur  
 Teresiae: si non creassem mundum, nunc  
 creatum amoretui. Est sicut sol qui radios suos



quaquaversum spargit sine ullo strepitu; pari modo confidentes Deo opera sua perficiunt in silentio absque pompatico tumultu, quæ tamen se longius latiusque extendunt quam ipsa solaris astri secundæ influentiæ. Illa quippe momento unico ascendunt usque ad cælum, implent terram, pervadunt infernū, dum simul pariunt & gloriam Deo, & Angelis gaudium & bonis omnibus singularia beneficia; dæmonibus verò terrorem incutiunt & dolorem.

## §. II.

*Qui confidunt creaturis, assimilantur cereo*

Contra verò illos, quorum spes omnis incernitur creaturis, scite S. Bernardus comparat lucenti cereo, qui lucem suam habet à cerato ellychnio accenso. Hæc figura ad vitam exprimit imbecillitatem bonorum quibus homines mundani tantopere adhærent, & à quibus omnis eorum, qua se jactant, magnificentie splendor dependet. Nam cum accenditur cereus, non purum lumen est sed lucerna, si quidem ignis ipse propria fomenta consumit, nec nisi ipsa consummatione fovetur. Præterea est ipsum lumen tam remissum ut vix ad tres passus propagetur; tam obscurum, ut non nisi oculis infirmis sit gra-